



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXXXVII. Electionis, quæ à Religiosis peracta est in absentia
Ordinarii Præsidis, & Patris Domûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

CONSILIUM LXXXVII.

In causa Electionis factæ & confirmatæ in absentia ordinarii Præsidis,

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Electio si contra jus alterius facta sit, potest rescindi: si omissa sit forma substantialis, est nulla.
3. ad Electionem de jure communi non requiritur Præsens Capituli.
4. Si statuta requirunt præsentiam alicujus, electio eo absente sit illicita & rescindibilis.
5. Absentia ejus, qui moraliter vocari non potest, non obest valori electionis.
6. Electio debet confirmari.
7. Ante confirmationem electus non potest administrare res Ecclesie.
8. Recensentur aliquæ limitationes data doctrina.
9. Procurator non potest agere absque mandato, vel ultra mandatam.
10. Acta à nulliter confirmato regulariter sunt invalida.
11. Ratihabitio subsequens potest sanare defectus præcedentes.

FACTI SPECIES.

I.



Abet Reverendissimus Abbas A. aliquot filiationis titulo sibi subiecta Monasteria ejusdem Ordinis, cujus in hac præter cætera secundum statuta, & Constitu-

tiones proprias Ordinis sequens est jurisdictio, ut scilicet, cum vacat aliqua ex his Ecclesiis, sigillum & clavis Abbatis mortui ad ipsum mittatur, electioni novi Abbatis ipse præsit, ejus factæ instrumentum ipse erigat, ipsæque electum confirmet. Contigit ante 20. circiter annos, ut in aliquo ex dictis Monasteriis morte Abbatis vacaret Ecclesia. Sed cum nulla ratione Magistratus sæcularis, in cujus ditione situm est Monasterium, adduci potuerit, ut Reverendissimus Abbas secundum statuta Ordinis admitteretur ad electionem, Capitulares, ne diu carerent Capite, vocato Vicario Generali ejusdem Ordinis per eam Provinciam, celebrârunt electionem, quam idem Vicarius Generalis nomine, ut prætulit, Reverendissimi Abbatis A. confirmavit. At hic, ubi hoc intellexit, & contra electionem & contra ejusdem confirmationem tanquam juri-
bus suis præjudiciofam statim protestatus

est, quam protestationem sæpe repetiit, neque hucusque unquam electum, & sic confirmatum Abbatem agnovit. Interim Abbas sic electus & confirmatus administravit jam tot annis res Monasterii, professiones Religiosorum suorum suscepit, contractus iniit &c. quæ omnia forent irrita, si aut confirmatio, aut etiam electio fuisset invalida. hinc modus queritur, quo commodè remedium malo queri possit.

QUÆRITUR I.

An hac Electio fuerit valida?

UT indubia à dubiis segregem, imò certum est Electores sic procedendo ad electionem difficulter excusari posse per hoc, quod Magistratus sæcularis Reverendissimum Abbatem ad electionem non admiserit; potuissent enim eidem supplicare, ut cum ipse interesse non potuerit, delegaret potestatem suam alteri, qui suo nomine electioni assisteret, & electum confirmaret. Excipitur casus, nisi hoc ipsum sperari non potuerit à Magistratu sæculari, seu principe obtinendum, ut admitteret alium, qui nomine Reverendissimi Abbatis præsideret electioni. 2. certum est, electionem istam utpote contra jus Reverendissimi Abbatis memorati
(Fff ff3) factam,

2.

factam, fuisse infirmam, & rescindibilem. Colligitur *arg. c. quod sicut* 28. §. *si autem. de electione*, ubi statuitur, si unus vel plures ex Capitularibus contempti, & ad electionem non sint admissi, cum debuissent, & potuissent admitti, eos illatam sibi injuriam prosequi, & petere à Superiore posse, ut electio rescindatur: & hoc ideo, quia nemo usu sive exercitio juris sui privari debet. hæc autem ratio pugnat etiam in casu nostro; nam Reverendissimus A. & ipse habuit jus assistendi electioni, & electum confirmandi. Igitur cum ab utroque exclusus fuerit per injuriam, ipse tanquam Superior, ad quem confirmatio electionis spectat, rescindere eam potest & potuit. 3. certum est, si præsentia & assistentia Patris Abbatis ad formam essentialem Canonice electionis pertinet, electionem non tantum infirmam, sed esse omnino nullam; quia generaliter, quando omittitur aliquid de substantialibus, ac pertinentibus ad formam essentialem electionis, talis electio est omnino nulla.

Abb. in *C. cum post.* 46. de *Elect.* n.

1. Tamb. de *jur. Abb.* tom. 1. D. S. q. 2. n. 16.

& ratio est, quia gesta contra formam sunt ipso jure nulla,

C. cum dilecta, 22. de *rescript.* c. quia propter 42. de *Elect.*

Ex quo consequitur, quod cassata electione rescindenda sint omnia, quæ ratione officii & jurisdictionis præsentis à sic electo gesta sunt.

Laym. in *C. qualiter* 17. de *elect.* n. 3.

Excipitur, si vitium sit occultum, tunc enim ratione erroris communis, quamdiu vitium occultum manet, jurisdictionem & potestatem administrandi concedit jus etiam nulliter electo iuxta

l. Barbarius 3. ff. de *offic. Prator.*

Quare tota difficultas quæstionis propostæ eo tandem recidit, an assistentia Patris Abbatis pertineat ad substantiam electionis: ad cujus difficultatis sublationem proderit solutio sequentium dubiorum.

3. DUBITATUR I. an jure communi ad valorem Electionis, & hujus substantiam requiratur Præses Capituli?

Examinat quæstionem istam Fagnanus, qui, cum fuerit Juris Consultus Romanus, & operâ ab annis omnino quinquaginta, ut ipse fatetur, S. sedi in causis Canonice locatâ maximam sibi comparavit praxin, plurimam in verbis suis auctoritatem habet. Quare utile erit super hac re ipsum loquentem audire. Sic ergo loquitur

in *c. quia propter* 42. de *Elect.* n. 72. & sequentibus:

Vidi multoties dubitari, an Præses Capituli sit de substantia electionis; nam com-

munis practica habet, ut Capitula non celebrentur sine Præsede, idque valde rationabile est, ut sit ibi aliquis, qui dirigat actus Capitulares, & vitetur confusio, & discordiarum occasio amputetur *arg. C. in apibus*, 7. q. 1. sed nihilominus verius videtur hoc ad substantiam electionis non pertinere, tum quia in *c. quia propter. de Elect.* ubi perstringuntur substantialia electionis, de Præsede nihil disponitur, nec alicubi reperitur in jure, ut ex defectu Præsidis aliqua electio fuerit cassata, vel reprobata, nec ullus Doctor id exigit ad valorem, ut in specie Petrus à Piaxio in Directorio electionis p. 1. à c. 3. & per totam ponit viginti octo requisita ex parte eligentium nec meminit Præsidentis: & quamvis sit de forma, ut electio fiat à Collegio, tamen ut inquit Innoc. in *c. cum non ignores* n. 1. de *præbend.* ad esse Collegii non exigitur, ut sit ibi Prælatus

arg. l. 1. ff. quod cujusque universitat.

nom. & sequitur ibi Joann. Andr. n.

2. vers. solutio, sed & Oldrad. *conf.*

128. quoniam ad investigationem n. 8.

vers. & si dicatur.

non est, inquit; de esse Collegii habere Prælatum; & paulò post subdit: talia Collegia, cessante exemptione habere Ordinarium pro Capite, exempta verò Papam: actus autem Capitulares dirigi poterunt ab antiquiore, qui etiam potest Capitulum convocare in defectu ejus, ad quem id spectat de jure, vel consuetudine,

ut notat Innoc. Joan. Andr. Abb. Felin. & alii in *c. 1. infra de major. & obed. Anchar. in repet. C. canonum statuta* in 10. *quæst. princip. supra de const.* quos sequitur Petrus à Piaxio 3. *part. Director. c. 4. n. 1.*

& ita semper tenui, nisi statutis Ecclesiæ vel Ordinis à sede Apostolica confirmatis aliud expresse caveatur. Ita ad verbum Fagnanus l. cit. quæ omnia ad tria capita reduci possunt. 1. quod Collegium esse possit, etiam si Caput non habeat, seu præsidem, aut Prælatum. 2. quod Capitulum convocari, & actus Capitulares dirigi possint non tantum à Præsede Capituli, ad quem de jure vel consuetudine illud spectat, sed etiam ab alio, præsertim antiquiore in defectu Præsidis. 3. quod etsi praxis habeat, & valde congruum sit, ut actus Capitulares, præsertim electiones, non fiant sine Præsede, id tamen ad substantiam electionis non requiratur. Ex quibus ducitur hoc argumentum; nam si de jure communi invalida esset electio sine Præsede, qui de jure vel consuetudine debet eidem assistere, esset invalida ex hoc duplici capite, primo, quod ejus præsentia requiratur ad substantiam ejusdem, & secundò, quod sine illo vel ejus consensu Capitulum legiti-

timè congregari non posset. atqui, ut ex dictis patet, præsentia Præsidis ad substantiam electionis non pertinet, & sine hoc Capitulum legitime congregari potest; quare dicendum de jure communi, & ut Fagnanus *loc. cit.* rectè excipit, nisi statutis Ecclesiæ, vel Ordinis à sede Apostolica confirmatis aliud caveatur, electionem etiam Præside excluso institutam, licet infirma sit, non tamen esse ipso jure invalidam. & hinc

4. DUBITATUR II. *an ex jure speciali*
Dubium 2. statutorum Ordinis Electio excluso Patre Ab-
bate, facta sit valida? Resp. hic consi-
 derandos terminos statutorum Ordinis, quibus præsentia Patris Abbatis requiritur; nam si tales sint, ut verificari possint in sensu proprio, etsi accipiantur pro sola licentia electionis, dicendum, dum iis statutis præcipitur, ut Patre Abbate præsentè & electionem dirigente celebretur electio, per ea hæc absque Patre Abbate celebrata solum fiat illicita, non verò invalida; nam in odiosis minimum sequendum est, & in dubio potius præsumendum pro valore actus, quam contra. proceditque hoc, etsi Superior aliquis prohibeat, se absente celebrari electionem, ut docet Portel *in Dub. regular. V. Electio. n. 4.* ubi sic loquitur: si Superior aliquis prohibeat suo mandato, ne aliqua communitas, vel Capitulum celebret electionem, & nihilominus celebretur electio, & eligatur unus dignus, tenet electio, nisi Superior possit per se irritare electionem, & dicat in scriptis, quòd electio aliter facta sit irrita. Colligitur ex

C. inter cetera, & ex c. dilectus. de præbend. & tenet Glossa inc. dilectus. 2. eod. V. collata.

& probatur, quia si communitas jus habet ad eligendum, & eligit canonicè, sola prohibitio, quòd non eligat, non irritat electionem; quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent. Debet ergò Prælatus esse talis, qui possit irritare electionem, & quòd in scriptis dicat, aliàs factam esse irritam. ita ad verbum Portel *l. cit.* procedit 2. etsi vel per Constitutiones peculiare, vel de jure communi aut Episcopus, aut alius Prælatus Ecclesiasticus aut jubeatur, aut permittatur præsidere electioni; nam adhuc valida censeri debet electio, etiam sine Præside facta, nisi aliud ex verbis statuti, aut juris communis, quo potestas præsidendi conceditur, desumatur. ita Sannig *l. 1. decret. tit. 6. de Elect. c. 11. n. 3.* si Episcopus, inquit, præfixo die aut hora non compareat per se, vel suum commissarium, aut indulgendo suis commoditatibus vel negotiis nimias moras usque versus noctem protrahat, licet Superior Regularis ad electionem procedere possit. & n.

4. addit: quando ergò in Bulla Gregor. XV. & decreto Congreg. Card. Concil. Trid. datur facultas Episcopo præsidendi in actu electionis, tò præsidere

secundum Sanctior. & Nebr. *in Lexic. jur.* apud Joann. Calvin. *V. Præses.*

importat solam directionem, ut nimirum electio quietè & pacatè procedat, atque ne aliqua violentia vel defectus in ea committatur. Longius adhuc progreditur Lezan. *qq. regul. V. Electio inter regulares n. 2.* nota, inquit, quòd, quamvis in electione facta per modum scrutinii servari debeat forma *C. quia propter.* ita ut aliàs Electio sit nulla & irrita, hoc tamen probabiliter limitandum est, ut solum sit verum pro foro externo, non pro foro conscientie, si tamen, quæ de jure divino aut naturali requiruntur ad electionem, observata fuerint, qualis est liber consensus majoris partis eligentium. Ratio, quia illæ solennitates juris positivi *C. quia propter.* vel similes solum adinventæ sunt ad evitandum, ne in electionibus deesset præfatus consensus, & ita, si adsit, non est de defectu illarum curandum.

Rodrigu. *tom. 1. qq. regul. q. 27. a 30. Sà in sum. V. Electio n. 5.*

unde electus contra formam canonicam dicti *C. quia propter.* sed servatis conditionibus jure divino & naturali requisitis, si confirmatus sit, potest in conscientia exercere suum officium, nec tenetur illud renuntiare. ita Lezan. ex quibus omnibus hoc iterum ducitur argumentum: si electio in casu nostro excluso Patre Abbate facta ipso jure invalida esset, esset invalida maxime, quòd per Constitutiones Ordinis requiratur præsentia Patris Abbatis tanquam Præsidis. atqui hoc non obstante adhuc valida potuit esse electio, quia ut Portel *l. cit.* præsentia Præsidis requiri potuit, solum ut dirigat electionem, non verò tanquam necessaria ad substantiam & valorem electionis; & si etiam ad substantiam electionis per statuta Ordinis requireretur, tamen, si vera sunt, quæ Lezana & apud hunc allegati *l. cit.* docent, id se tantum tenet pro foro externo, in foro interno autem valida erit, modò servata sint ea, quæ jure divino & naturali ad validam electionem sunt requisita. cum igitur hæc observata sint, utpote conveniente in electum liberis votis potiore eligentium parte, & cum præsertim dubium sit, an statuta Ordinis præsentiam Patris Abbatis requirant ad substantiam & valorem, an solum ad licentiam, meritò concludi potest validam esse, etsi infirmam & rescindibilem. Quia verò ut legislator quilibet, ita etiam conditor statutorum Ordinis actui præscribere certam formam potest, & ita præscribendo velle, ut actus aliàs validus non observatâ eâ formâ, invalidus sit,

5. *Dubium 3.* sit, idcirco ulterius in hac hypothesi
DUBITATUR III. *an posito, quod per
 statuta & Constitutiones Ordinis presentia &
 assistentia Patris Abbatis requiratur ad valo-
 rem Electionis, nihilominus per benignam inter-
 pretationem adducendo in consilium circumstan-
 tias presentis casus, censeri & haberi pro vali-
 da Electio sic facta possit?* Circumstantiæ
 sunt gravissimæ; nam ex una parte despe-
 rabatur consensus Principis in admisso-
 nem Patris Abbatis ad instituendam ele-
 ctionem: unde necesse erat, vel omnino
 carere Capite, vel electionem diu nimis
 differre, donec cum Principe rescompo-
 natur, quæ dilatio fieri non poterat sine
 magno dispendio tum disciplinæ religio-
 sæ, tum administrationis rerum Monaste-
 rii, vel denique procedendum erat ad ele-
 ctionem sine Præside Patre Abbate. Ex
 altera verò parte si electio declararetur esse
 irrita & nulla, plurima & gravissima ori-
 untur incommoda, Professiones omnes
 ab Abbate sic electo admittæ, utpote qui
 potestatem non habuit admittendi, sunt
 invalidæ, acta omnia, & contractus cir-
 ca res Monasterii nulli sunt &c. quibus
 omnibus ponderatis, quæstio esse potest,
 an non in gravissimis his circumstantiis
 principium illud juris sit applicandum, quo
 dicitur, ex duobus malis id eligendum
 esse, quod minus est. pro cuius quæstio-
 nis dissolutione non inutiliter serviret pa-
 ritas cum aliis casibus, nempe quid dicen-
 dum, si vacante huiusmodi filiali Eccle-
 sia Pater Abbas esset mortuus, & ob quas-
 cunque causas diu differri novi Patris ele-
 ctionem necesse foret: item si morbo con-
 tagioso, si peste grassante, si viis ab ho-
 ste obsessis non posset Pater Abbas inter-
 esse electioni, nec alium Commissarium
 suum tunc mittere, aut vices delegare alteri.
 His certè casibus statuta Ordinis vix præ-
 sumi possunt voluisse obligare ad diffe-
 rendam electionem fortè in integros &
 plures annos, donec Patri Abbati electio-
 ni assistere permissum sit, & hoc ob mo-
 ralem impossibilitatem, & ingentia, quæ
 ex tanta dilatione oriri possent, incom-
 moda. Simile impedimentum, & impos-
 sibilicas moralis, nec minora mala timen-
 da erunt in nostro casu; parum enim re-
 fert, an violentiâ Principis, an pestis pericu-
 lō, an hostium vi excludatur ab electione.
 Et licet fortasse Capitulares supplicare po-
 tuissent; ut cum ipse non posset, pote-
 statem suam Pater Abbas delegaret alteri,
 tamen fieri poterat, ut hoc ipsum novas
 ciceret turbas, & Commissarius Principis,
 qui semper in ea Provincia, ubi Monaste-
 rium, de cuius electione controversia est,
 situm est, ad electionem mittitur, ne hunc
 quidem vellet admittere. Quare etiam
 posito, quod presentia Patris Abbatis ad
 substantiam requiratur, in his singu-
 laribus circumstantiis iudico electionem

sic factam ex benigna interpretatione sta-
 tutorum Ordinis haberi posse pro valida,
 præsertim cum eidem interfuerit & dire-
 xerit Vicarius Generalis ex ipso Ordine,
 & interfuerit, ac direxerit, ipsius, ut pro-
 fessus est, Patris Abbatis nomine: ex quo
 apparet, quod eundem ad electionem vo-
 cando Capitulares fecerint id omne, quod
 in illis circumstantiis potuerunt.

QUÆRITUR II.

*An valida fuerit confirmatio
 electi facta à Vicario Generali, præterito
 Patre domus?*

6. *Prænotanda.*
Antequam ad hanc quæstionem respon-
 deam, præmitto quædam juris prin-
 cipia minus controversa, ex quibus ali-
 qua tum ad hanc quæstionem tum ad dif-
 ficultates, quæ ex illa oriuntur, solven-
 das magnopere proderunt. 1. Conve-
 nit apud omnes, electum necessariò con-
 firmandum esse. Constat ex c. *postquam* 3.
de elect. ratio est, quia per electionem ca-
 nonicam electo solum tribuitur jus inchoa-
 tum, per confirmationem verò illud per-
 ficitur, & tribuitur jus jure, seu quasi
 dominium dignitatis, aut Prælaturæ.
 Porro, ut rite fiat confirmatio, necesse
 est t. ut fiat ab eo, penes quem jus est con-
 firmandi electionem factam, vel de hujus
 commissione ab alio, quem sui loco is
 constituerit. Hinc si alius electionem
 confirmet, qui nec jus proprium, nec po-
 testatem delegatam ab isto habet, confir-
 matio est ipso jure & facto nulla. 2. Ele-
 ctionis decretum præsentandum est con-
 firmatori

ut rectè Lezan. in *Mari magn. Eremit.*
S. August. fol. 138. n. 143.

estque hoc de necessitate electionis ut con-
 firmandæ; quia si confirmator sit absens,
 nullo alio modo potest ipsi legitimè con-
 stare de electione, aut eam confirmare.
 3. ipsa confirmatio electionis intra tres
 menses post præstitum consensum ad
 electionem ab electo petenda est;
 alias si legitimo impedimento cessante
 confirmatio non petatur, electio est
 nulla.

c. *quàm sit* 6. *S. caterum. in fin. de Elect.*
in 6.

7. Certum est 2. Episcopum vel Prælatum
 electum regulariter loquendo ante impe-
 tratam confirmationem non posse admini-
 strare res & jura Ecclesiæ, ad quam ele-
 ctus est. ita statuitur

c. *nōsi* 9. *de Elect. & Extrav. in juncta.*
1. eod. int. commun.

ratio est, quia si ante confirmationem
 potestas administrationis electo compete-
 ret; confirmatio vix aliquid operaretur, ne-

neque electus multum sollicitus esset de obtinenda confirmatione, ne se periculo cassationis exponeret: & si quando electionem ex causa cassari contingeret, non ita facile electus à Prælatum, quam jam administrare coepit, removeri posset. Quod si ante confirmationem obtentam electus administrationi Ecclesiæ se ultro imisceat, imptimis privatur jure sibi acquisito per electionem *c. qualiter. 17. de Elect. & electio cassatur.*

Gonzal. in c. qualiter cit. n. 3. & seqq. Excipitur, qui per ignorantiam & bona fide se ingessit administrationi, ut decusum fuisse in sacra Rota refert

Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. D. C. q. 1.

2. Electus sic privatus & repulsus à Prælatum non potest denuo eligi ad eandem vel aliam Prælatum; quia prior electio cassata fuit ob vitium personæ.

arg. c. super 12. de Elect.

3. omnia, quæ ratione officii, vel jurisdictionis usurpatæ, & non competentis gesta sunt, revocanda & rescindenda sunt, ut constat ex

c. qualiter cit. in fin.

proceditque hoc, siue proprio siue alieno nomine in administrationem electus non confirmatus fraudulenter se ingerat; nam neque Oeconomi aut Procuratoris, vel alio simili titulo administrare Ecclesiæ potest, ut constat ex

c. avaritia 5. de Elect. in 6.

ubi sic se ingerenti distatur pœna, ut electio ejus cassetur. Dixi autem, regulariter loquendo electum ante impetratam confirmationem non posse administrare res & jura Ecclesiæ; nam

8.

Certum est 3. dari aliquos casus, quibus electo ante impetratam confirmationem facultas administrandi conceditur. talis est 1. si is, ad quem spectat confirmatio electionis, id renuat sine rationabili causa facere; tunc enim electus velut injuste gravatus appellare ad Superiorem ejusdem potest, & hic illum compellere ad confirmandam electionem, vel ipsemet eandem confirmare: interim verò, ut putat Lezan, in *Mar. magn. servitar. fol. 307. n. 34.* & alii apud ipsum, exercere electus officium suum poterit; quia licentia injuste negata habetur pro concessa. 2. Episcopi & Prælati, qui confirmari debent à summo Pontifice, si valde remoti sunt ab urbe, videlicet ultra Italiam constituti, & in concordia electi sint, administrare Ecclesiæ vel Prælatum ante confirmationem obtentam possunt, ne Ecclesia interim, dum confirmatio à sede Apostolica advenerit, damnum patiatur, ut statuitur

c. nihil. 44. §. ceterum. de Elect.

ubi tamen iisdem prohibetur alienatio rerum Ecclesiasticarum, intellige, per quam bona Prælatum diminuantur, & extra ur-

R. P. Schmalzgrueber Consilia,

gentem necessitatem, vel aliam justam causam. 3. Suscipere administrationem electus non confirmatus potest, si Ecclesia quidem non multum distaret à Curia Pontificis, propter viarum tamen discrimina e. g. belli tempore intra breve tempus non pateret aditus ad Curiam. Ita

Glossa in Extrav. injuncta 1. de Elect. inter comm. V. præsument.

ratio est, quia *cir. Extrav.* solum damnatur & punitur temeraria præsumptio; hoc autem non debet extendi ad casum necessitatis, quæ in qualibet dispositione censetur exempta.

c. licet 6. de penit. & remiss.

& necessitas facit licitum, quod aliàs est illicitum

c. quoniam 13. caus. 1. quast. 3. c. 1. de feriis. c. consulisti 3. de celebr. Missar.

nec pœna debet infligi, ubi non est culpa.

reg. 23. de R. J. in 6.

accedit, quia hoc casu urget ratio expressa, *c. nihil. cit.* ob quam longè distantibus conceditur administratio ante confirmationem, scilicet ne damnum ex mora patiantur Ecclesiæ. Neque obstat, quod casus iste non exprimitur in *c. cit.* nam et si verba defecerint, non tamen deficit legislatoris mens. 4. Constitutio *c. cit.* locum habet etiam in Prælati electis, qui immediate Episcopo vel Archiepiscopo subiecti sunt; nam etiam ipsi ante obtentam confirmationem administrare liberè possunt, si propter longam distantiam vel aliud impedimentum intra breve tempus confirmationem obtinere nequeant, ut contra Gloss. in *c. nihil. cit. V. administrant.* docet

Abb. ibid. n. 10. Laym. n. 9. Pirhing. n. 299.

nam ratio *c. nihil. cit.* etiam in subiectis Episcopo vel Archiepiscopo locum habet, ne scilicet ex mora grave detrimentum infligatur Ecclesiis, neque obest, quod *c. cit.* faciat mentionem expressam de Prælati immediate subiectis Pontifici, non verò de aliis; quia ideo de his solum fit mentio, quod frequentius contingat, ut hi longius distent à Curia Pontificis, quam non exempti distent à Curia Episcopi.

Accedit, quia Constitutio *cir. C.* est favorabilis Ecclesiæ, & propterea ex identitate rationis meritò extendatur. 5. denique valent acta ab electo, qui ante obtentam confirmationem ex *c. nihil. cit.* administravit Ecclesiæ, ad quam electus est, etsi ejusdem electio ob defectum repertum postea rescindatur, modò defectus iste occultus, & publicè ignotus fuerit.

ita Gloss. in *c. nihil. cit. V. administrant.* Innoc. *ibid. n. 3. & seqq. Abb. n. 11. & seqq. Laym. n. 10. Pirh. n. 300.*

ratio est: quia tali casu electus administra-

(Ggg gg)

vir autoritate Superioris, & hujus Canonis, ac proinde ob concurrentem publicam, eamque probabilem ignorantiam defectus occulti, qui ex jure positivo pendet, & ab eo suppleri potest, omnia ejus acta valent.

arg. l. Barbarius 3. ff. de Officiis Prætorum.

idem dicendum, si cum tali impedimento electus confirmetur; nam à sic confirmato acta omnia valent, usque dum detegatur impedimentum. Dixi autem modo defectus occultus sit; nam si manifestus fuit, seu publice notus, acta electi non valent; quia tunc non excusat impedimentum, sicut excusat, si occultum sit. His positis fundamentis resolutio questionis n. 6. posita pendet ex solutione dubii, quo

9.

DUBITATUR I. an Vicarius Generalis,

Dubium 1.

qui ut n. 1. in casu posito fuit, adfuit electioni, & nomine Patris Abbatis eandem confirmavit, procuratorio nomine electionem confirmare potuerit? Pro quo notandum in Procuratore duo requiri, unum ad Constitutionem ipsius, videlicet ut habeat legitimum mandatum à domino, seu Principali, cujus nomine agit: estque hoc ita verum, ut nisi de mandato sibi facto faciat fidem, Procurator ad litigandum in judicio (idem est in aliis actibus) non sit admittendus, prout sumitur ex

c. alia 1. de Procuratoribus.

alterum requiritur ad rectam impletionem officii procuratorii sibi commissi, ad quod opus est, ut ad plura se non extendat, quam mandatum eidem sit, sive injunctum; nam cum Procuratoris Officium sit species mandati, ejus fines diligenter servare Procurator debet, neque excedere potest, sed bonam fidem & diligentiam in exequendo mandato exhibere debet.

l. diligenter 5. l. idemque 10. ff. mandati. quod si extra fines mandati aliquid gerat, in eo domino non præjudicat.

l. in causa 27. ff. de procuratoribus. l. si procurator. 10. C. eodem.

nam qui excessit, aliud quid facere videtur quam ei mandatum est.

l. diligenter circa in principio.

necesse igitur erat, Vicarium Generalem; ut electionem confirmare potuerit Patris Abbatis nomine, habuisse mandatum de confirmatione electionis facienda. Potest autem mandatum Procuratoris concedi vel ab ipso jure seu statuto, vel à Principali, cujus nomine agitur, hujusque vel expressa vel tacita & prudenter præsumpta voluntate. An vi juris & statutorum Ordinis peculiarium mandatum & jus confirmandi Abbates electos Vicarius Generalis habeat in casu, quo Pater Abbas interesse electioni non potest, dependet ex statutorum, & jurium pecu-

liarium Ordinis tenore, quæ proin consulenda sunt. Quod de expressa Patris Abbatis voluntate mandatum electioni assistendi, eamque confirmandi non habuerit, constat ex n. 1. ubi in casu dictum, Patrem Abbatem semper reclamasse, & contra electionem se excluso factam, & contra ejusdem confirmationem. Unicum ergo medium, quo salvari forte potestas procuratoria, & ab hac dependens valor confirmationis posset, esset, confugere ad voluntatem tacitam & prudenter præsumptam Patris Abbatis. Porro tunc præsumi ejusmodi voluntas poterit; quando tales concurrunt circumstantiæ, in quibus Pater Abbas, etsi explicitè contradixerit, si tamen eas scivisset, prudenter non potuerit dissentire, aut negare facultatem Vicario Generali ad assistendum electioni, eamque confirmandam suo nomine. an verò ejusmodi inciderint circumstantiæ, electo, Vicario Generali confirmanti, & his qui propugnant, & defendunt electionem, probandum est, cum adversus ipsos sit præsumptio juris, quo invalida declarantur, quæ aguntur à Procuratore non habente mandatum. Pertinebit igitur ad Patrem Abbatem tanquam immediatum judicem, auditis partibus sententiam super his ferre.

DUBITATUR II. an posito, quod con-

10.

firmatio sic facta à Vicario Generali fuerit in-Dubium 2.
valida quocumque ex capite, & maxime ex defectu mandati, acta à sic confirmato valida fuerint? In quo imprimis notandum, eo casu confirmatum se gerere debuisse, ac si confirmatus non fuisset, nisi occultum fuisset vitium confirmationis: & ratio est, quia actus invalidus idem est, ac si non factus. Hinc distinguendum est; nam si occultum fuit vitium confirmationis, quamdiu occultum mansit, acta ab eo ratione Officii valida censi debent.

arg. l. Barbarius. 3. ff. de Officiis Prætorum. quia cum errore communi seu defectu publice ignorato administravit.

Abb. in c. qualiter cit. n. 27.

At si publicum fuit vitium, & confirmatio aperte nulla, de jure communi administrare non potuit secundum dicta n. 7. quia fuisset quasi non fuisset confirmatus. Si dubium denique fuit, an valida esset confirmatio, pendente exceptione contra electionem, & confirmationem à Patre Abbate opposita, nisi ante exceptionem oppositam administrare cœperit, officium exercere non potuit, donec definiretur controversia; potuit autem, si inchoavit; quia tunc res non amplius est integra. Ita

Ricc. in prax. aur. tom. 4. resolut. 55. n.

1. & seqq. Speculat. l. 4. cit. de except.

§. nunc dicendum, n. 16.

Dixi,

Dixi, de jure communi, & præscindendo à particularibus circumstantiis non potuisse administrare, & consequenter acta fuisse invalida; nam si aliqua causa ex numero 8. allatis intervenit, etsi nulla fuerit confirmatio, modò valida electio fuerit, aut saltem vitium ejus publicè ignoratum, administrare potuit, ita ut acta ejus essent valida. tales autem causæ sunt bona fides administrantis, prudenter præsumptus consensus veri Confirmatoris, difficultas petendi & impetrandi confirmationem &c. quæ causæ, an omnes, aut quænam intervenerint, cum sit quæstio facti, probari debet ab electo, & iis, qui defendunt, legitimam confirmationem istam fuisse, ut in pari n. præcedente de consensu præsumpto ad dandam confirmationem dixi. De bona fide magna videtur difficultas fore, ut probetur adfuisse, cum Pater Abbas adversus factam electionem, & confirmationem statim, & hucusque semper protestatus sit. Similiter si difficultas fuit petendi confirmationem personaliter, potuit illa fortè peti per litteras: unde si sperari potuit obtinenda hoc modo, difficultas allegata cessat. ad summum prodesse electo sic confirmato pro defensione valoris actorum suorum potest prudenter præsumptus consensus veri confirmatoris, qui si colligi ex aliquo potest, ex eomaximè colligi debet, quod tales concurrerint circumstantiæ, in quibus Pater Abbas, si eas scivisset, ob bonum publicum, & vitanda mala, & sequelas gravissimas, potius voluisset valere acta etiam à non legitime confirmato, quam non valere cum maximo damno Monasterii, perturbatione rerum, & scandalo populi. Verum has circumstantias intervenisse, iterum probari debet ab illis, qui acta ab electo facta ut valida sustinent.

II. DUBITATUR III. posito, quòd & electio
 Dubium 3. & confirmatio, & acta à sic confirmato facta invalida fuerint, quòd remedium quarendum malo, aut quomodo defectus supplendus? Resp. Supplendum defectum, ponendo id, quod fuit omissum: non fuit autem petitus consensus, & confirmatio Patris Abbatis, igitur si hic hætenus acta rata habeat, valorem suum acquirunt; quia rati habitio retrahatur ad tempus, quo acta illa sunt, tanquam si proprio consensu & approbatione acta fuissent, sicuti in simili omnes docent in matrimonio, quod ubi ex defectu consensus vel ex alio capite nulliter contractum fuit, modò contra-

ctum fuerit in facie Ecclesiæ, redintegratur posito novo consensu contrahentium, neque opus est tunc solennitates repeti: quia ut omnium opinio est, consensus de novo positus retrahitur ad solennitates in contractu matrimonii antea invalidè contracti factas. Idem ergo dicendum in casu nostro, & hoc fieri omnino consultum est, ad vitandam ingentem confusionem rerum, monasterii damna, & scandalum populi. Proceditque hoc etiam in electione, si hæc fuisset invalida, modò servata fuisset forma

c. quia propter. sapius cit. de elect.

nam si invalida fuisset electio ob non servatam formam *c. cit.* suppleri defectus non posset, nisi instituta nova electione etiam à Capitulo generali, aut Prælato generali; quia continet Constitutionem generalis Concilii, cui subsunt inferiora quæcunque Capitula, & quicunque Prælati Regularium.

Lezan. qq. Regul. V. Electio inter regulares n. 2.

Ceterum cum in casu nostro non constet, aliquid hujusmodi, quod *c. cit.* præscriptum est ad formam electionis, in ea omissum fuisse, difficultas hæc in præsentem nihil facit. Denique quoad totam hanc causam & casum ego pro tenui mea, salvo meliore, judico, quoad omnia hæc magis propendendum in valorem eorum, quam ut pronuntientur invalida, & hoc tum ob sequelas, & mala enarrata, tum vel maxime, ne professiones interea editæ declarari debeant nulliter editæ, quod fieri deberet, si electio, confirmatio, & maxime acta à sic electo essent invalida, cum ad professionis valorem requiratur, ut ab aliquo ad id potestatem habente v. g. à Prælato vel Superiore, aut ex ejus commissione ab alio nomine Religionis expressè, vel saltem tacitè acceptetur, ut colligitur

ex c. porrectum 13. de Regular. & transunt. ad Relig. & c. ad Apostolicam. 16. ibid. & docent Gloss. in c. porrectum. cit. V. Monachum. Host. n. 13. Abb. n. 10. Navar. Comment. 4. de Regul. n. 74. Sanch. l. 5. Moral. c. 4. n. 62. Wieltner l. 3. Decret. tit. 31. n. 88.

nisi velimus dicere acceptationem istam factam à Patre Abbate ipso, saltem tacitè, dum sciens suscipi in Monasterium ab Abbate electo Novitios, & hos Professionem emittere, nec tamen protestatus est adversus hunc actum.

(Ggg gg2) CON-